



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Detestabilis Ægyptiorum potus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

198 Cap. VIII. Iudicia Dei iusta,

qua salsa est; infusa enim in vasa quædā cerea,
exuens salsedinem fit dulcis ac potabilis, cera
videlicet salsedinem eibente atq; consumente.
Illum igitur sanguinem percolatum, & ad similitudinem aquæ perductum, ob idq; tolerabilem in potu, bibebant Ægyptij.

§. V.

Detestabilis Ægyptiorum potus.

Quàm autem suavis, aut sanus fuerit ille
potus, facile est diuinare. Haud vtiq; paulo
suauior, quàm Charontis nectar, quod ille
è Stygia haurit palude. Legimus, & audiui-
mus sæpe, fœdissima quæq;, sitis necessitate
adactos homines, bibisse; aut fame urgente
abominanda comedisse. Quod & Scriptura
testatur, in qua ille ait: *Quæ prius nolebat tan-*

Job. 6.

gere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei
sunt. scilicet anima esurienti, etiam amara
dulcia videntur. Quare percolatæ licet, tamē
sanguineæ aquæ, etiam Ægyptijs necessitate
quadam sapere debuerunt; neq; enim verè
Phil. li. 1. *sapere potuerunt. Rectè igitur huius plagæ*
de vita *acerbitatem descripsit Philo, quando Nili*
Moyhs. *in sanguinem descripsit commutationem,*
addiditque: Idem in stagnis, fossis, puteis, fon-
tibus, & omnibus Ægyptijs aquis euenit, ut
deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: C

notula

nouas venas aperientibus, pro limpido liquore,
sanguis emicaret, tanquam è vulnero. Piscium
quog_z genera extincta sunt, cuncta vitali facul-
tate versa in pestiferam; ut fætore completerentur
omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Ho-
minum quoq_z siti enectorum magnus numerus
jacebat in triujs; non sufficientibus domesticis
ad sepultura officia. Itaque plagæ huius gra-
uitatem, sanguis ipse significauit, & tam-
densa funera, vt deessent vespillones, aut,
qui cadauera sepelirent.

§. VI.

*Causæ, ob quas Aegyptij, aquis in sanguinem
versis, sunt puniti.*

Sensit hunc iustum Pharao, non sensit caus-
sam, non agnouit iram Numinis. In duricie
persesttit. Iustè agis cū injusto, ô D^re^s. Au-
feruntur judicia tua à facie eius. Hinc im- Psalm. 91
patientia, querelæ, furor, atque ex ipsa
medicina morbi incrementum. Fuere tamē
vel istius quoq_z plagæ per aquas illatæ caus-
sæ æquissimæ, & justitia cum D^reo fecit. 1.
Quoniam, vt ait Philo, Ægyptij, præ cate-
ris rebus, honorabant aquam, tanquam rerum
omnium primam, & principium; idcirco Deus
eam primò ad castigandos, plectendoq_z, noxios
adhibuit. 2. Quoniam Aegyptij varias exe-

N 4 crandæ